

§ XLIII. — DEPOSITUR CHRISTUS DE CRUCE  
ET SEPELITUR.

I. Venit Joseph; commendatur: 1. Ex nomine. 2. A divitiis. 3. A justitia. 4. Ex discipulatu occulto. — II. Petit a Pilato corpus Jesu, audacter. — III. Miratur Pilatus obiisse jam Christum: donat corpus Joseph. — IV. Venit Joseph: 1. Mercatur sindonem. 2. Deponit de cruce. 3. Accipit cooperatorem Nicodemum. 4. Affert Nicodemus mixturam myrrhæ et aloes. 5. Involvunt linteis. 6. Ponunt in monumento: 1° Novo. 2° Exciso in petra. 3° In horto. 4° In alieno. 5° Prope civitatem. 6. Advolvunt saxum. 7. Mulieres sequuntur.

## THEMA.

*Hic accessit ad Pilatum et petiit corpus Jesu.*  
Math. XXVII.

Afflictissimæ Christi matri, stanti juxta crucem filii jam extincti, videtur accidisse, quod S. Antonio accidit, cum is in eremo reperisset S. Paulum primum eremitam in cella sua mortuum. Cum enim anxius hæreret Antonius, quæ ratione servum Dei sepeliret more christiano (neque enim sarcolum ad fodiendum habebat) ita ut juxta senem mori optaret: ecce duo leones ex interiore deserto prosilientes ad ipsum, concitato cursu contendunt, qui ubi ad senem venerunt et defuncti corpus, posita omni ferocia, quasi columbæ, non leones essent quo poterant modo, venerati fuere, pedibus fodere et egerere terram cœperunt, tantamque effecerunt fossam quanta humano corpori humano sufficeret; posteaque recesserunt, uti scribit in vita S. Pauli eremite S. Hieron. Nemini sane dubium esse potest, stesisse et Deiparam juxta corpus emortuum penduli adhuc filii summa anxietate, eo quod desideraret filii sui corpore terræ commendare, nec tamen haberet, qui de cruce id refingeret, nec ubi id reponeret. Cupiebat ergo sine dubio juxta filium mori potius quam feris avibusque expositum videre. Verum ecce tibi leones duos, vel potius columbas, Josephum et Nicodemum (qui parebant quidem leones, cæteris Judæis similes, clam tamen Christi amatores et discipuli erant) qui Christi corpus refigunt et honorifice sepeliunt. Videte, auditores, Dei providentiam. Superest ut videamus quomodo id gestum sit.

I. Cum sero esset factum, venit Joseph ab Arimathæa nobilis decurio et dives, etc. Pluribus nominibus commendatur hic Joseph ab evangelistis, nec immerito; nam et Isa. c. LIII. de illo vaticinatus est, cum ait: *Dabit divitem pro morte ejus.* Commendatur autem a divitiis, a nobilitate,

a munere, quia decurio, id est, senator vel consiliarius (ut ex Græca voce patet) a bonitate et justitia (*vir bonus et justus*, ait S. Lucas) a Christi discipulatu, licet occulto, propter metum Judæorum, rursum quia non consenserat consilio et actibus Judæorum, et quod expectaret regnum Dei.

Primo, ex nomine, ut ab uno Josepho e cunabulis levaretur et educaretur, ab altero de cruce refrigeretur et tumularetur. Primo, se commendavit ingressus in hanc vitam, alteri ex eadem egressus: primo commisit thalamum matris suæ; secundo thalamum sepulcri sui. Congruit nomen loco *Arimathæo*, quod idem est ac deponens. Bene id expressit Marcus cum ait: *Deponens eum involvit sindone.* Recte Joseph, id est, filius accrescens: recte Arimathæus, id est, deponens vocatur. Crevit enim virtutibus, cum ex occulto discipulo factus est manifestus; et cum timorem mundanum deposuit.

Secundo, ex divitiis et nobilitate senatoria. Talis autem a Christo electus est. Primo, quia pauper et plebeius non potuisset impetrare corpus Christi, nec pro decentia sepelire. Secundo, ad solatium divitum et nobilium, quos hoc facto ostendit Dominus non difficile salvari posse, si nimirum velint benefacere pauperibus et operibus misericordiæ intenti esse.

Tertio, ex justitia: bonus enim et justus erat expectans regnum Dei, nec consenserat in Christi necem. Talem elegit Dominus. Primo, quia noluit sibi ab impiis et obrectatoribus servitium hoc impendi. Debebat hæc margarita viro præstantis meriti, non hosti, non illusori. Secundo, ut pateret Josephum non tam ob divitias et nobilitatem, quam ob virtutem ad hoc electum esse, adeoque divitias et generis splendorem tum demum aliquo apud Deum loco esse, cum virtutibus exornantur. Tertio, ut docerentur superiores, quibus corpus aliquod reipub. commissum est ad gubernandum, ut videlicet sint boni et justii, ut quærant regnum Dei et justitiam ejus, soliusque Dei honorem et salutem subditorum, ut non consentiant vel aures dent malorum consiliis susurris et falsis delationibus, etc.

Quarto, ex eo quod discipulus Christi occultus esset; qualis etiam fuit Nicodemus, qui cum unguento venit adjuvans Josephum in sepultura Christi. Tales porro electi videntur. Primo, ut sciamus hos viros non caruisse merito fidei, licet occulte tantum Christum colerent; adeoque fieri posse, ut quis inter hæreticos et infideles degens fidem ac religionem suam occultare possit, cum eam aperte profiteri ob grave periculum

nequit: dummodo præcepta fidei observet. Secundo, ut appareat virtus passionis Christi, quæ hoc effecit ut qui prius ex timore Christum confiteri non audebant, nunc operibus audacissime loquerentur et prædicarent. Impletum videtur hic quod responderat Christus Pharisæis, qui audientes occini Christo a discipulis: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, dicebant: *Magister increpa discipulos tuos.* His enim ait Dominus: *Dico vobis quia si hi tacuerint lapides clamabunt*, Luc. XIX. Tacere sane discipuli Christi, tempore passionis et mortis ejus. At interim excitavit Dominus occultos suos discipulos, qui velut lapides antea muti erant, ut factis et operibus clamarent Christum benedictum regem esse.

II. Introivit audacter ad Pilatum et petiit corpus Jesu. Petit hoc primo, quia non licebat sine præsidis permissu sepelire corpora punitorum. Uti etiam postea sancitum in l. corpora ff. de cadaveribus punitorum. Hoc ergo a præside petendum erat. Secundo, quia sicut voluit Christus mori et crucifigi ex obedientia et in obedientia etiam præsidis mortalis: ita voluit etiam in et ex obedientia refigi a cruce et sepeliri, adeoque legibus malefactorum etiam in hoc subjacere; monens interim nos, ut de cruce obedientiæ et tribulationis non conemur descendere, nisi cum Dei licentia seu superiorum. Petit vero audacter. Primo, quia animum illi addiderant prodigia utique in Christi morte patrata: populus item ex iis consternatus et magna ex parte in principes sacerdotum commotus, (quod docet Titus Bostrensis episcopus, in c. XXIII. Luc.) de vesania sua penitens, etc. Sic enim reclusis in latibula noctuis et belluis, prodeunt in lucem aves et jumenta, quæ non sectantur prædas. Secundo, ut hoc facto suo compensaret priorem timiditatem et pudorem, quo occupatus latere studuit. Itaque seipsum hic correxit et collegit animum ad verum et sincerum Christi cultum, periculum enim hic suscipit non tantum odii Judæorum, sed mortis etiam et martyrii ob amorem Christi.

Petit et cum precibus. *Rogavit enim Pilatum;* ait S. Joannes, *ut tolleretur corpus Jesu.* Et sunt, qui scribant Ludolphus, et ex eo Mallonius de sacra sindone, cap. I. deservisse Josephum Pilato nobili obsequio, annis quinque, et pro tota quæ ei debebatur, mercede petiisse corpus Christi. Quod si verum est, mira est hujus Josephi virtus, qui pretio et precibus necnon capitibus et nominis sui discrimine emortuum Christi corpus redimere non dubitavit, præclaro documento ut nihil non facere et perdere paratissimus, quo Christum lucrificamus cum apos-

tolo ad Philip. III. dicente: *Propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercorea ut Christum lucrificiam.* Et ut pro toto nostro servitio, quod Deo impendimus aliud non petamus quam Christum, exemplo S. Thomæ Aquinatis, qui pro scriptionis suæ labore nil aliud petiit quam Christum ipsum. Cæterum hanc charitatem cito ei remuneratus est Christus, si S. Gregor. Turonensi credimus, qui l. I. hist. c. XXI. scribit, propterea apprehensus a sacerdotibus Josephum et in carcere inclusum ruisse; sed resurgente Domino, noctu parietes custodiæ in sublimi suspensos, liberam ei ad egrediendum viam fecisse, posteaque rursum parietes in pristinum restitutos.

III. Pilatus autem mirabatur, si jam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum, si jam mortuus esset. Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph. Miratus est Pilatus primo, quia alias communiter crucifixi diutius vivebant in cruce, non enim tot tantisque tormentis prius exhauriebantur: quod in Christo factum esse non expendebat, et forsitan non sciebat; ultra enim modum a Pilato præscriptum desævuisse milites et carnifices in Christum facile apparet. Secundo, quia fortasse plusquam humanas vires Christo inesse opinabatur, eo quod is se Filium Dei minime abnuisset.

Cognita ergo Christi morte ex centurionis assertionem, donavit corpus Joseph. Magnum et nullum donum. Magnum si rem donatam et Josephi mentem aspicias: nullum si Pilati. Hic enim imprimis donare noluit Christum nisi mortuum. Deinde pro dono vult haberi corpus, quod ipse ter uncio non emisset, sed feris et volucribus reliquisset. Ita fere donat mundas, deteriora scilicet et corrupta, quæ noluit dare cum essent integra et utilia: et tamen interim ea prædicat, et vult magni fieri. Significabat tamen hoc Christum nullo pretio dandum esse fidelibus, adeoque fore donum quoddam optatissimum et cæleste omnibus, qui desiderant illum. Item quam vili imo nullo pretio sæpe distrahendus sit a malis Christus.

IV. Venit Joseph et tulit corpus Jesu. Primo autem, mercatus est sindonem mundam. Non eam accepit de linteis suis domesticis, sed novam emit, tum ob dignitatem et reverentiam corporis Christi, tum quia et pro decorem et venerationem acquisitura erat, non ab alio: tum ob mysterium, quia per mortem Christi omnia innovanda erant, unde nova involvitur sindone, novo tumulatur sepulcro: ita novus homo debet esse christianus veteri exuto: *Nova sint omnia, corda, voces et opera.*



Secundo, deposuit de cruce, maximo humili-  
tatis, et amoris Christi exemplo. Crucem enim  
quam Judæi ne tangere quidem volebant, ap-  
plicitis scalis ascendit, clavos extrahit, corpus  
demittit. Discant hic nobilis ac divites Christum  
non erubescere. Ut enim nobilis hic Joseph non  
modo nobilitatis sine detrimentum nullum ac-  
cepit ex hoc facto, sed gloriam potius et cele-  
britatem nominis sui; ita nequaquam oberit.  
sed multo maxime proderit divitum existima-  
tioni, si sua obsequia Christo deferant. Sane  
Manuel imperator Græcorum lapidem viri ma-  
gnitudine purpureum (in quem depositum  
fuisse Christi corpus post refixionem, donec ad  
sepulturam pararetur, traditio habet) Epheso  
Constantinopolim translatum, humeris suis a  
portu Bucoleonis usque ad ædem, quæ in turri  
palatii est, ad honorem Christi gestavit, teste  
Niceta, l. VII. de Manuele.

Tertio, accepit cooperatorem Nicodemum, et  
ipsum principem Judæorum et occultum Christi  
discipulum. Factum hoc divina dispensatione.  
Primo, ut Josephus socium periculosi et fasti-  
diosi laboris nactus in opere confirmaretur.  
Frater enim qui adjuvatur a fratre quasi civitas  
firma, Prov. XVIII. Et si dormierint duo, fovebun-  
tur mutuo: unus quomodo calefiet? Eccl. IV. Cale-  
fecit ergo alter alterum in amore Christi et pro-  
sequendo opere refixionis ac tumulationis ejus.  
Secundo, ob mysterium, quo voluit Christus  
omnia fieri cum charitate. Ut ergo propterea  
misit binos et binos ad prædicandum, ita voca-  
vit binos ad sepulturam suam.

Quarto, attulit Nicodemus mixturam myrrhæ et  
aloes quasi libras centum. Primo, factum hoc di-  
vino consilio, non tam ut corpus incorruptum  
diu servaretur, (siquidem ad hoc exenterari de-  
buisset, quod abhorret dicere) quam ut virtus  
in eo corpore honorificaretur, et qui cum igno-  
minia mortuus erat, cum honore sepeliretur, in-  
quit P. Jac. Gresser. l. I. de cruce, c. XXXVII. Se-  
cundo, ad instructionem nostram, ut memineri-  
mus non voluntatem tantum bonam, sed opus  
etiam charitatis exhibendam indigentibus, et qui-  
dem juxta cujusque vires, ut qui dives est domi-  
sua, dives sit et largus in Deum et pauperes ejus.

Quinto, acceperunt hi duo corpus et ligave-  
runt illud linteis, involveruntque sindone munda,  
cum aromatibus, sicut mos est Judæis se-  
pelire. Primo, ad reverentiam corporis Christi,  
ut suprad. Secundo, ad Ecclesiæ instructionem,  
ut intelligat corpus Christi in eucharistia puro  
corde et novo decreto emendandi vitam in me-  
lius, suscipiendum; ob quam causam etiam in  
altari reponitur super lineo corporali ut voca-

mus, non serico vel laneo. Qui pura mente  
Christum suscipit, in sindone munda involvit.  
Tertio, quia: «Sindon lineus pannus est (inquit  
S. Remigius, apud Pakæottum de sacra sind. c.  
II.) linum autem ex terra procreatur et cum ma-  
gno labore ad candorem perducitur. Designatur  
quod corpus illius quod ex terra, id est ex Vir-  
gine sumptum per laborem passionis pervenit:»  
scilicet ad gloriam resurrectionis.

Sexto: *Posuerunt id in monumento*; quod pri-  
mo, erat novum, in quo nondum quisquam po-  
situs erat. Primo, ne non ipse, sed alius ibi se-  
pultus, pro ipso surrexisse crederetur, ut scribit  
Victor. Antiochenus, in cap. XIII. Marci; adeo-  
que ne sepulcrum id non ab ipso, sed ab alio  
decorem trahere videretur. Secundo, quia Chris-  
tus novus homo et novus Adam fuit, novo modo  
conceptus et natus, novam doctrinam attulit et  
vivendi rationem novam docuit, etc. novum  
ergo et sepulcrum ei debebatur.

Secundo, erat excisum in petra. Primo: *Ne si  
ex multis lapidibus*, inquit D. Hieron. in Matth.  
XXVII. *ædificatum esset, suffossis tumuli fundamen-  
tis ablatus furto diceretur.* Secundo, quia voluit  
sepulcrum suum immobile esse, nec unquam  
aboleri, sed extare perpetuum suæ mortis et  
resurrectionis monumentum: prout hactenus  
inter tot Jerosolymæ vastationes et Christi inimi-  
cos integrum perstitit. Tertio, quia etiam Chris-  
tus hujusmodi petra est et lapis excisus seu cæ-  
latus in passione, clavis, spinis, flagellis, cui  
inædificata est Ecclesia; de quo lapide dicitur  
Zach. III. *Ego cælabo sculpturam ejus et auferam  
iniquitatem terræ illius.*

Tertio, erat in horto, primo, ex more Judæo-  
rum, qui in hortis et similibus locis sepulcra sua  
habebant. Secundo, quia in horto paradisi cœ-  
pit nostra perditio, ergo et in horto recte fini-  
tur: et incipit nostra salus, qua reducimur ad  
verum paradysum. Tertio, ob spem resurrectio-  
nis Christi; ipse enim granum frumenti erat  
jamjam resurrecturum cum fenore: merito  
igitur in horto seminatum et terræ commenda-  
tum est.

Quarto, erat alienum, Josephi scilicet. Primo,  
quia nihil in terris proprium habuit vel quæsi-  
vit. Secundo: «Ideo in aliena sepultura ponitur  
(ait S. Aug. ser. CXXXIII. de temp.) quia pro  
aliorum moriebatur salute. Ut quid ergo ei pro-  
pria sepultura, qui in se mortem propriam non  
habebat? Et quid illi tumulus in terris, cujus se-  
des manebat in cælis? Nec solum pro aliorum  
salute sed et etiam pro aliorum peccatis.

Quinto, erat prope civitatem et Golgothæ lo-  
cum. Primo, ut sepulturæ testes etiam inimici

essent, et ne quis facile cogitare posset furto  
corpus ablatum esse. Secundo, ut discipuli eo  
facile se conferre possent, et quæ fierent, in pro-  
pinquo intuerentur.

Sexto, advolverunt saxum magnum ad mo-  
numentum. Primo, ne qua injuria afficeretur  
corpus vel a bestiis vel ab inimicis Judæis, et  
ne locus esse posset mendacio et figmento Ju-  
dæorum, quasi discipuli corpus abstulissent;  
sicque fides resurrectionis Domini detrimentum  
vel impedimentum acciperet. Secundo, ad ma-  
jorem resurgentis gloriam, quem nulla clau-  
stra vel repagula detinere in inferno et morte  
poterant, uti habetur, Act. II.

Septimo: *Mulieres subsecutæ et sedentes contra  
sepulcrum aspiciabant ubi poneretur.* Aspiciabant,  
non curabant funus, quia ex more Hebræorum  
viri virorum, feminae feminarum tantum fu-  
nus curare solebant, ut docet Baronius, tom. I.  
in appendice. Optimæ mulieres ibi cor et oculo-  
los habebant, ubi thesaurus illarum erat.

Mystice docemur, quale debeat esse sepul-  
crum cordis nostri, ut in id reponi digne queat  
corpus Christi in s. communionem, ubi involu-  
tum sindone specierum panis candidarum in-  
trat in cor nostrum. Debet enim primo, esse no-  
vum et mundum a peccatis saltem lethalibus,  
innovatum per pœnitentiam et emendandæ vi-  
tæ propositum. Secundo, excisum in petra, id  
est, firmissima fide, hujus præsertim sacramenti,  
præditum; firmissimis item propositis fugiendi  
peccata firmatum. Tertio, sit in horto, id est, odo-  
riferis virtutum, humilitatis, reverentiæ, charita-  
tis, castitatis floribus circumdatum. Quarto, sit  
alienum, Deo videlicet resignatum et subjectum  
ut jam non ipsi dominemur, sed Deus in nobis  
dominetur. Quinto, sit prope Golgotha, id est,  
memor sit passionis Dominicæ, cujus memo-  
riale est eucharistia. Sexto, advolvatur ostio  
saxum, id est, custodiantur bene sensus corpo-  
ris, per quæ velut ostia, mors ingreditur et sur-  
ripit nobis Christum. Septimo, aspiciamus con-  
tra sepulcrum, id est, quotidie inspiciamus  
cor nostrum per examen conscientie, ne iterum  
perdamus hospitem nostrum seu gratiam ejus.

#### § XLIV. — SEPULCRUM CHRISTI GLORIOSUM.

I. Ratione corporis Christi. — II. Ratione epigraphes.  
— III. Ratione principum metu anxiorum. — IV.  
Ratione Christi resurgentis. — V. Ratione custodum.  
— VI. Ratione honoris qui sepulcro impensus: 1.  
A Deo. 2. A principibus et aliis. 3. A quotanni repræ-  
sentatione.

#### THEMA.

*Erit sepulcrum ejus gloriosum. Isa. XI.*

Si contemplemur, auditores, sepulcra ma-  
gnatum hujus sæculi, et sepulcrum Christi,  
magnam reperiremus inter hoc et illa differen-  
tiam. Sepulcra enim divitum et potentum hu-  
jus sæculi terminant et claudunt omnem eorum  
gloriam, pompam, dominatum: at sepulcrum  
Christi terminavit ejus contemptum, dolores et  
labores; inchoavit vero et aperuit ejus gloriam  
et majestatem. Principes hujus sæculi in vita  
gloriosi sunt, in morte vero inglorii. Unde Ps.  
XLVIII. dicitur: *Cum interierit, non sumet omnia,  
neque descendet cum eo gloria ejus.* Contra Chris-  
tus in hoc mundo fuit *inglorius inter viros*, Isa.  
LII. gloriosus vero in morte et sepulcro, de quo  
idem Isaias, c. XI. dixit: *Erit sepulcrum ejus glo-  
riosum.*

Hanc porro sepulcri gloriam nunc intuea-  
mur. Gloriosum igitur est.

I. Si consideremus eum, qui in sepulcro ja-  
cuit, qui nequaquam similis est aliis sepultis.  
Nam primo, alii sepulti, toti ac penitus mortui  
sunt; sed non eodem modo Christus, qui se-  
cundum naturam quidem humanam mortuus  
erat, corpus tamen in sepulcro divinitati uni-  
tum habuit, adeoque hac ex parte vivens fuit,  
quia Deus fuit. Hinc Ps. III. mortem suam som-  
num et soporem vocat: *Ego dormivi et soporatus  
sum et exurrexi.* Ubi ad litteram loquitur David  
de exilio suo, quod ad modicum tempus exula-  
vit ab urbe et regia sua, ob persecutionem filii  
sui Absalonis; figurate tamen Christum notat  
a Judæis rebellibus suis filiis exactum in mor-  
tem et sepulcrum. Ut ergo David eo tempore  
rex legitimus semper fuit, etsi in sua regia et  
urbe non fuit, ita etiam Christus tametsi secun-  
dum animam suam cum corpore non fuit, tri-  
duo illo mortis, secundum tamen divinitatem  
et cum corpore et cum anima fuit. Unde bene  
dicitur dormisse, quia dormiens est quodammo-  
do cadaver spirans. Quod ergo sponsa, Cant. V.  
ait: *Ego dormio et cor meum vigilat*, id recte  
de humanitate Christi (quæ sponsa divinitatis  
est) intelligas. Ipsa enim dormiente cor et  
sponsus ejus, natura divina, vigilabat. Veteres



sepulcris fortium virorum leonem insculpebant, teste Pausania in Beoticis, quia dormit leo apertis oculis. Hic ergo sepulcro Christi debetur, qui dormivit apertis divinitatis suae oculis.

II. Aliorum corpora in sepulcro putrefiunt et corrumpuntur. Sed corpus Christi putredini aut corruptioni nequaquam fuit obnoxium, teste Ps. XV. dicente: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, ut explicat S. Petrus, Act. II. et S. Paulus, Act. XIII. R. Isac. vertit: *Non dominabitur post mortem scolex aut vermis*. Aliis igitur sepulcris dominantur vermes, qui corpora eorum depascunt. Unde illorum sepulcra tametsi foris parent candida et ornata, intus tamen plena sunt vermibus et ossibus mortuorum, Domino teste; sed non ita sepulcrum Christi, quod nullum vermem, nullam admisit putredinem. Arca foederis ex imputribilibus lignis constabat, Exod. XXV. manna in urna servatum ad perpetuam rei memoriam, semper incorruptum mansit, Exod. XVI. similiter corpus Christi putrescere non debuit; tum quia arca fuit ex innocentissimo Virginis sanguine opera Spiritus sancti fabrefacta, tum quia manna fuit omnibus retro saeculis ad alimentum Christianorum asservandum in urna eucharistica.

Secundo, si inspiciamus epigraphen, quam fecerunt illi Judaei. Quid enim hi de sepulto Domino dicunt? *Domine* inquit ad Pilatum, *recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens, etc.* Ecce titulum sepulti: *Seducitor*, quem si recte inspiciamus, honorificum deprehendemus. Optime enim dixit Lacedaemoniorum princeps Agesilaus cum quis alium vituperat, in vituperantis mores inquirendum esse prius quam ei fides habeatur, apud Plut. in Lacon. Atqui si in principes sacerdotum, qui hoc titulo seductoris notarunt Christum, inquiremus, inveniemus eos totos fuisse perversos, ita ut quaecumque Christus laude digna fecerat, ipsi reprehenderent. Sive enim daemones expelleret, dicebant: *In Beelzebub ejicit daemonia*; sive beneficia in sabbato conferret, dicebant: *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit*; sive populum erudiret ad salutem, dicebant: *Seducit turbas*; sive Caesari dare tributum juberet, mentiebantur eum prohibuisse dari; sive peccatores recipe-ret ad poenitentiam, murmurabant: *Quod cum publicanis et peccatoribus manducaret*. Cum ergo hoc hominum genus nihil carpere in Christo solet, nisi bona opera; quid dubitamus idem eos fecisse in proposito, et seductorem vocasse eum, qui reduxit errantes ad viam veritatis. Diogenes audiens aliquando hominem morum perversorum, calumniis incessere Platonem: *Ohe! desine,*

inquit, *neque enim tu male de illo dicendo fides merebere, neque is te laudando*, apud Stob. Idem prorsus dicere possis improbis sacerdotibus Christum calumniantibus: *Desinite, o miseri, nemo est, qui vobis credat tantum virum calumniantibus, quemadmodum et nemo crederet ei, qui vos laudaret*. Isoeratis sepulcro appinxere veteres Sirenem arietem insidentem et citharam manu tenentem, apud Fab. Paulum in hebd. I. I. cap. III. quod auro eloquentiae suae flumine auditorum animos attrahere et demulcere solitus esset. Hujusmodi simulacrum appingere sepulcro Christi Judaei debuissent, si veritatem acu tangere voluissent. Quia enim Dominus divino suo eloquio audientium animos velut sirenis cantu ad se traxit et ad salutem erudit, interim vero in reprobos et contumaces sacerdotum principes suis increpationibus arietavit; hinc morum informator et reductor, non seductor dici debuisset.

III. Si consideremus principes metu anxios et consilii inopes, ob sepulcrum Domini. Quia enim audierant eum dixisse, se post triduum resurrecturum, accedunt ad Pilatum et postulant ab eo custodiam sepulcri, sub hoc stulto titulo: *Ne forte veniant discipuli ejus et furentur eum, et dicant plebi: Surrexit a mortuis; et erit novissimus error pejor priore*. Adhibitis ergo militibus ad custodiam sepulcri, sigillo insuper obsignabant ostium ejus, quasi nec militibus satis fiderent. Addit Nicephorus, lib. I. c. XXXII. ex veterum traditione, ferreis quasi annulis lapidem ostio affixum fuisse. Et quare tot consiliorum ac tanti pavoris causa? Quia timerunt, quod evenit, resurrecturum Dominum. Quod enim furtum discipulorum metuere se dixerunt, absurdissimum figmentum erat. Quomodo tamque hoc discipuli, undique dispersi, conser-nati, et inermes efficere potuissent? Mortuum itaque timent principes viventes. « Quis vidit, (ait Amphilo-chius, ser. de sepult. Domini,) mortuum asservari, vel potius quis vidit unquam mortuum et undique circumseptum metum eis incutere, qui eum interemerunt? » Rectissime insculpissent Judaei lapidi sepulcrali emblema Q. Martii fortissimi ducis sepulcro incisum, arietem duobus stantem pedibus et leporem coram eo mortuum. Arius ducis fortitudinem; lepus hostes ab eo prostratos significabat, apud Joan. Bapt. Font. I. V. de prisc. gent. c. V. Annon aries Christus Dominus, aries, inquam ille, quem in figura pro Isaac immolavit Abraham inter vepres haerentem cornibus? Gen. XXII. Occiderunt hunc Judaei; et ipsi leporum ins-

tar, maetatum hunc arietem timent, sepulcrum ejus summo studio muniunt, ne videlicet aries hic in eos irruat et arietet. Magna ergo haec Christi gloria est. Si sic timerunt mortuum; quomodo timebunt vivum venturum in nubibus caeli? Deinde machinae et molitiones istae magis illustrant Christi resurrectionem et omnem furti ac fraudis suspicionem abstulerunt. Quis enim posteaquam Christus resurrexit et sepulcrum vacuum remansit, dicere potuit, fraudem aut furtum intervenisse post tantam Judaeorum vigilantiam?

IV. Si ad Christum attendamus, omnes Judaeorum machinas in nihilum redigentem et claudra omnia perumpentem. Sepulcrum erat novum, in quo nemo alius positus fuit, fuit in petra excisum, fuit grandi saxo oclusum, fuit custodibus cinctum, fuit sigillo munitum, et tamen his nihil obstantibus resurrexit Dominus. Quod ut omnibus palam esset, angelus descendit de caelo et revolvit lapidem, *non ut aperiret sepulcrum Christo Domino resurgenti*, inquit S. Hieronymus, ep. ad Hedib. q. VI. *sed postquam Dominus resurrexit, indicavit, quod factum est, et sepulcrum vacuum revolutione lapidis ostendit*. Penetravit ergo sepulcrum Dominus per dotem subtilitatis. Conformatum id est miraculo, quod scribit Rupertus Tuitiensis, l. VIII. de divinis offic. c. IV. contigisse anno Domini 1111. Leodii in monasterio S. Laurentii, cum sabbato sancto caneretur antiphona: *Mulieres sedentes ad monumentum*. Religiosi enim cujusdam (qui saepius admirabatur quomodo Christus clauso exisset de sepulcro) cingulum quo succinctus erat, ante pedes ejus quasi projectum exsiliit, non soluto nodo, neque circum crura pedesque descendens. Qua de re cum mire attonitus stuperet, vox ad eum quasi sibilus aurae tenuis venit, dicens: *Sic potuit clauso Christus prodire sepulcro*. Vixit tunc in eodem coenobio Rupertus qui hoc scripsit, ut habet Baronius, anno cit.

V. Si custodes audiamus, qui terribi ab angelo facti sunt velut mortui, postea vero recepto spiritu venerunt in civitatem et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia, quae facta fuerunt, atque ita facti sunt praecones resurrectionis Christi, quos Judaei custodes sepulcri esse voluerunt. Quid igitur ad hoc Judaei? *Maledictus furor eorum quia pertinax*, dicebat Jacob, Gen. XLIX. praevidens eos in spiritu. Audierant prius a Christo eum post triduum resurrecturum; nunc audiunt a custodibus suis, revera surrexisse; pergunt tamen in pertinacia, et ut magis pateat eorum nequitia et invidia, fides item resurrectionis Domini, pecunia corrumpunt custodes,

II. PARS HIEMALIS.

ut dicant, furto sublatum e sepulcro corpus a discipulis, dum dormirent ipsi custodes. Ecce testibus vigilantibus ipsi sacerdotum principes et seniores credere noluerunt; reliquos vero Judaeos iisdem dormientibus credere voluerunt. Si dormierunt milites quomodo viderunt Christum a discipulis furtim tolli? Crescit igitur gloria Christi et sepulcri ejus, ex inanissimis Judaeorum figmentis. Pulchre S. Augustinus, in Ps. LXV. ridet istum magistratum dicens: *Dormientes testes adhibes. Vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia fecisti*.

VI. Si consideremus honorem, qui postea sepulcro huic impendi coepit et solet in hodiernum. Primo enim, cohonestatur id a Deo, dum tot saeculis conservatum et illesum in tot urbis eversionibus, etiam inter ipsos hostes nominis christiani perseverat, ubi et Franciscani patres suum patriarcham et residentiam habent, et creantur nobiles equites aurati, etc. Cumque id Saraceni anno 1009. ex Judaeorum instigatione, quassare conarentur, nullo modo valuerunt, ut Baron. anno 1009. scribit. Accedunt alia miracula. Urbanus papa secundus in Concilio Claromontensi meminit perennis miraculi, quod in Ecclesia ad s. sepulcrum fieri consuevit, ut scilicet in feriis passionis Domini extinctae omnes candelae in templo et sepulcro divinitus iterum accenderentur, Baron. 326. Ad haec: « Terra ipsa (inquit S. Gregor. Turonensis, de gloria mart. c. VII.) insuper quae Domini adjaacet sepulcro, divinam quamdam ex Dominico corpore proxime posito virtutem hausit, ut merito fideles illuc peregrinantes avide solerent ex ea accipere, qua tum ad morbos curandos, tum etiam ad daemones fugandos uti consueverunt. » Rursum peccatores magni et haeretici non semel ab ejus ingressu divinitus repulsi sunt. Exemplum de Maria Aegyptiaca peccatrice notum est. Aliud simillimum de Cosmiana uxore Germani Patricii haeretica narrat Evitatus, in prato spirit. c. XLVIII. Et simile de Palaestinae duce, item haeretico, c. XLIX. Ibi peccatores convertuntur, daemones fugantur, morbi curantur, teste S. Aug. XXII. de civit. c. VIII. Denique: « Sepulcrum Christi (inquit S. Bern. ser. ad milites templi. c. XI.) inter loca devotionis tenet quodammodo principatum, et devotionis nescio quid plus sentitur, ubi mortuus requievit, quam ubi vivens conversatus est, atque amplius movet ad pietatem, mortis quam vitae recordatio.

Secundo, cohonestatum est a principibus viris, aliisque Christianis, qui ex toto christiano orbe ad illud visendum et venerandum convolant, non sine amplis muneribus. Cum primis